



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

D. Ioannis Ivsti Lanspergii Carthvsiani, Natione Bavari, Opvscvla Spiritvalia

ab ipso Autore partim Latinè, partim Germanicè euulgata

Landsberg, Johannes Justus

Coloniae Agrippinae, 1630

Lectio quorumnam librorum, siue freque[n]tanda, siue fugienda sit Dei
famulis. Cap. XI.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45857](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-45857)

Lectio quorumnam librorum siue frequentanda siue fugienda sit Dei famulis.

CAP. XI.

Pluvia Dei
quæ sit.

Lectio cuiusmodi sola frequen-
tanda.

Lectio cuiusmodi sit
cauenda.

Lectio sacra est pluvia Dei, rigans hominis mentem, ut quicquid bonæ voluntate conceptum est, germinet in opus. Ab omni lectione quamlibet suavi & pudica, si non ædificat ad bonos mores, aut si non ad Deum inflammat amorem, abstinere. Ea enim sola quæ te ædificant & ad Dei amorem inflammant, quæ quoque tuum iuuant propositum legere debes. Quid multa prodest legisse, si eos non legeris libros, nec ea intentione, è quibus te corrigere atque teipso melior fieri quotidie discas. Lectio prorsus est otiosa, quæ nullum post se relinquit fructum. Quicquid enim legeris boni, nisi pro vultu etiam illico imitari decreueris studuerisque, nihil legisti. Scientia enim sine opere accusat & damnat. Nihil igitur quod proposito tuo non congruit pro curiositate legas. Si præterea in bono viliq; libro quid vanum, mundanum, impudicumve occurrit, illud sancta religione transilias, seu legendum intermittas. Deinde, quid de regibus, principibus, seculiq; rumoribus ad te scire pertinet? Quicquid in huiusmodi est quod neq; compunctionem sancti cordis veredoleat, neque assert ædificationem, respice. Quare enim abstractam à mundo elegisti vitam, nisi ut quæ scitu necessaria non sunt nescias, seculi ignores rumores, nihil videas, nihil audias quod mentis interturbet pacem ac tranquillitatem? Quomodo ergo in solitudine leges aut inuestigabis, quæ verescires è seculo ad solitudinem fugisti? An nescis ea te quæcumque legeris meditaturum? Nisi igitur ab his abstinueris, puta ut historias profanas seculiq; rumores neque legeris neque audieris, nihil tibi proderit silentium corporalisve abstractio vitæ. Quid enim interest, vana, curiosa, otiosaq; legere et audire nisi quod legisse propemodum perniciosius est, propterea quod lecta tenacius memoriæ hærent. Finis itaque tuæ sit lectionis ea quæ legeris, si bona sint imitari. Vbi ergo quid legeris huiusmodi, quomodo hoc ipsum perficere quoque possis tecum meditare. Alioquin lectio (ut dixi) tibi profus inutilis est & otiosa.

Deuotio vera quænam sit, quomodoque ea exercenda: deuotio item sensibilis quo pacto sit periculosa; quatenusque à Deo petenda, ac in usum trahenda.

CAP. XII.

Deuotio vera
quæ sit.

Deuotio vera non est mollicies cordis quæ sentitur, & qua in lachrymas quis facile resoluitur, aut qua tunc ea quæ ad Dei sunt cultum, fide sentit suauia, quia cum peccato hæc deuotio stare possit. Siquidem & pagani & iudei, schismatici atq; hæretici naturaliter hanc deuotionem sentire possunt. Peccatores quoq; Christiani qui voluntatem malam nondum mutauerunt, hæc sentire deuotionem possunt. Vera igitur deuotio est bona voluntas, quæ spontè vtræque se tradit paratam ad omnia quæ sunt ad gloriam, honorem beneplacitumq; Dei. Hæc deuotio scienter aut volens
in se